… Scibor
…: Bonus
… Sciborius
Chelmscius laudatur.
Crac. typis Piatkovianis. 1641.

BONVS CIVIS SEV MARTIANVS SCIBORIVS CHEŁMSCIVS, Laudatus.

A

NICOLAO GRODŹINSKI, S. R. M. S.

Anno Salutari, M. DC. XXXXI. XVIII. Julij.

CRACOVIÆ,

Prodit Typis PIĄTKOVIANIS.

Stemma Sciborianum.



ET Arma Chelmsciana nullam rubiginem,
Et astra nullam sunt Ecclypsim passa.

Illustrißimis, Reuerendißimis, Perillustribus, Illustribus, Generosis, ac Magnificis Dominis

ELECTORIBVS

ARCHICAMERARII CRACOVIENSIS

Nec non

Illustrissimo Domino,

D. GEORGIO SEBASTIANO

LVBOMIRSKI,

COMITI IN WIŚNICZ & IAROSLAW

Sandecen: Spiſ: Dob: Grib. &c. &c.

CAPITANEO.

In nupero Comitiali Prosouiensi Consilio, supremo Votorum et Consiliorum Directori prudentissimo, publicæ, priuatęq; fortunæ, incrementa.

Ciuibus Bonis, Ciuem Bonum: Nobilitatis Palatinatus Cracouiensis Principem: & Æconomum Generalem: in manus vestras do. Accipite vestrum, & meum constantem Amicum. Probauit

bauit constantiam, Consilio, Generositate, Magnanimitate, spectatâ in Comitijs, Judicijs, Priuatoq; consessu. Non leuis est Magnorum virorum in Republica iactura. Hanc resarciemus, si officio Archicameriali Hominem admoueritis, Ciuemq; Bonum. Præludo votis: & patrio more, quatnor nomino Candidatos: Illustres ac Magnificos DD. Franciscum Debinski Aquiliferum Cracouiensem; quem ipsa tanto gradui admouent merita. Joannem Branicki Checinensem Capitaneum, virtutis auitæ ciuem. Michaëlem Zebrzydowski Lanckoronensem Capitaneũ, cui vox ipsa Chełmsciana ante obitum est suffragata. Et ne Chełmscianæ, Fundatissimæ, quâ meritis Togâ Sagoq; probatis, desim familiæ. Ioannem Chełmscium Capitaneum Vycensem, Palatinatus Craco: venatorem vt sit suus in luctu solatio locus. Ita voui & scripsi. Cracouiæ Idibus Iulijs.

Vestrarum Jllustrissimarum Dominationũ

Totus Voto, Spe, Re.

Nicolaus Grodźinski,

S. R. M. S.

FVNERAL CHEŁMSCIANVM.

MARTIANVM SCIBORIVM Chełmscium, Virum de R. P. bene meritum, Bonum Ciuem, ac bono publico, è sanguine verè Heroico veré Polonico natum, non amisimus, sed regiâ Fato rum viâ præmisimus mox & ipsi secuturi. Virum dixi, quem non communi modo ac methodo morientem vidimus, docuit enim nouo moriendi genere Virum Magnanimũ, nõ iacendo, sed sedendo aut stando decere mori. Dixi de Republica benè meritum,

ac bono publico natum vtrumq; dixi dum Ciuem bonum dixi. Neq; enim bono publico nasci, neq; de Republicâ bene mereri, potis est nisi bonus Ciuis. Et orientes bono Publico non dicimus, nisi bene merentes de bono publico didicerimus, & tandē cum hoc, aut in hoc titulo Boni Ciuis, viderimus morientes. Vnde fit, vt non nisi communi lachrymâ, é pupillâ viduati Bono Ciue oculi, stillante, & emanante, bene merentibus de Patriâ Ciuibus, à mærentibus Conciuibus Boni amissi desiderio, quod non cognoscitur nisi dum amittitur, parentetur. Sed & amitti non dicitur, quod præmittitur, è numero mortalium Conciuium, & promiscuo puluerum pondere, ad Immorlium Ciuium beatissimam, & omni sorte Fælicitatis cumulatissimā Rempubl: transportatur: & id quod post Fata & Funera, viuam relinquit in animis omnium imaginē

amoris

amoris penicillo expreſſam, & perpetuo deſiderij colore, animatam, quia ante Fata & Funera amatam. Et Bono non Optimo Nomini, in Vmbroſo atramento, lucem victuram quærimus, ſufficiat enim mortalium Virtuti, hic poſitiuus gradus, ne aut comparando, inuidiæ bilem moueamus: aut ſuperferendo Dei titulis, qui ſolus Maximus, ſolus Optimus eſt, homines immiſceamus. Ac primum reddamus ſuo Fonti & Origini Bonum Ciuem, Fontem non alium quæram, quam illum qui ſupra pretia Tagi aut Pactoli dulce & aurum parturit Bonum ſui diffuſiuum, Auream inquam Libertatem; cuius orbitam ſi excedat Bonus Ciuis, quia Licētioſus, ideo non Bonus ſed pernitioſus dicēdus eſt. Sunt enim ac eſſe debent ſui Libertati cancelli, quos ſi Ciues excedant, nouos inde ſperes Clodios, nouos Catilinas. In hunc Catalogum referas & Machiauel-

los

los, Callimachos, aut quales pestes & præsens ac coætaneus nobis parturijt Orbis, Campanellas. Non Licentiâ apertâ, sed calidissimá, quia calidissimâ vi, ingenij viscera R. P. Liberæ petentes. Tineas rectius vocarim, quæ sua subtilitate, magnas libertatis in cariem actas vertunt trabes. Atque ita illud Creaturæ minutal, est suppar Viribus Quercinis examinandis & exanimandis. Oderas hos Chełmsci, & Iuribus Regni pestes Catilinarias dum te supremum arbitrum Legum vidit, audijt, & sensit Tribunal, procul à communione Iurium arcuisti; Procul ab Honore, ad quem non nisi virtuti patet aditus esse voluisti: Procul & ab ipsa quà nihil est carius vitâ exclusisti. A Supellectili Librariâ, quam instructissimam, meo ductu, tuo emptu habuisti, & Academiæ Crac. communi Ingeniorum & Iudiciorum Regni nutrici, donauisti. Solas illa

tinea

tineas abesse quarum memineramus voluisses, nisi Amor boni publici Optimus Magister aliter suasisset, etiam illos autores, emẽdos, legendos & amandos Liberis à Ciuibus, qui Dominandi vnius causâ, Libertatem omnium volunt & satagunt, in vltimam vertere ruinam: & irreparabile exitium; vt ex spolijs Ægypti Ingenium ditatum. Magnificentissimum, Deo & Legibus, ac Diuæ Libertati erigat in animis hominum domicilium. Bonus igitur fuisti, quia non seditiosus; licentiosus, aut nimium ingeniosus fuisti. Et ideo Bonus Ciuis, quia liber, & ideo liber quia Bonus. Neq; enim suapte natura. vspiam aut vnquam potuit esse nisi bona an quia aurea Libertas? auri autem nõ adulterini, eadem quæ veræ & siue fuco ac cera libertatis est natura. Sed & Boni ac Liberi Ciuis est vti licentiæ, effrænium ingeniorum Regnatrici non paruisse, ita serui-

tutis tot Terrarum & Imperiorum Dominæ, iugum nunquam ſenſiſſe, & perpetuum hoſtem fuiſſe. Ita tam optimæ vt ita ſuper feram matris Libertatis, duæ pernitioſæ naſcuntur Filiæ. Neq; enim genitoribus ſemper ſimilis vt ita dicam connaſcirur proles. Nam & ex Aureliâ Fauſtinaq; vite, ferrea enata eſt progenies, incommoduſq; Imperio Romano Commodus. Eſt quod gaudium meum ac Tuum gaudeam, Noſtriſq; Tecũ Sarmatis omnib9 congratuler Chełmſci, quod non in Neronis aut Caligulæ Regno neq́, ſub Tiberij Saturniano ſupercilio, ſis natus & educatus vbi non ſpirare, quam tu ſemper conſtanter ſpiraſti: Sed nec eam ſperare, nec ad eam aſpirare, ſed tantum ſuſpirare licuit Libertatem. In quo publico ſed Arcano vulnere & publico gemitu, non alia fuit quam Suſpiriorum & Lachrymarũ Reipubl. Romanæ Medela. Nobis ſub Sce-

ptro

ptro VLADISLAI viuentibus, nulla Lex liberè loquendi, aut agendi eſt impoſita. Et quę fælicitas temporum eſt, liberis eſſe licet, Licentioſis, aut Mancipijs nec licet, nec libet. Quam exoſa tibi ſeruilia ingenia fuerint docuiſti, quæ vel ipſi oderunt, (illa Tyberij cōprobante voce: O Homines ad ſeruitutem paratos) Tyranni. Eat Tua poſt fata poſthuma in orbis abnepotis aures viua dictorū & Actorum hæres memoria. Dum in Theatro R. P. Varſauiæ: Quendam non habere faciem Leonis dixiſti, quam ipſe ſemper vti Libertatis certum argumentum ore & opere præſetuliſti. Et quæ ferax ſeruilium terriculamentorum eſt ſeges & materies: neq; aſpectib9 neq; reſpectib9 neq; deſpectib9 cōmotus, in aliam faciem à Leone, quam Metamorphoſin in quibuſdam ſæpè vidimus, abijſti. Bonus igitur Ciuis quia liber non Seruus fuiſti. Neq; enim Bonum Ciuem

uem valuit vnquam, Metus aut Formido peperisse. Hic Fons Libertatis è quibus illa Aurea emanant Flumina. Heroica & condigna Viro congenita Magnanimitas. Cui animo coniunctus Candor Auitę propaginis indicium. Et ex his orta veritas. Et animata his omnibus constantia & perpetua sui similitudo. Nec plures in Bono Sarmata requiro notas. Hæ sufficiunt quia hæ dum cæteræ has consequuntur, reliquas efficiunt. Magnanimitati, quam primam explico, & Magno Ciui applico. cohæret morum grauitas, decens & consona moribus vestis: Suppellex compta: generosa victus & potus ratio. Omnia hæc in nostro Chełmscio vidimus. Faciem dignam Viro Sarmatico, inter actiones grauē, inter iocos seriam, incessus maturitatem, Accentus loquendi Generositatem, Vestis & Victus ratio Magnificentiam comites habuere.

ere. Non effuſa ſed prudentiæ lance librata liberalitas. Vidimus hæc inquā ſed quæ animum Magnum non faciunt ſed qualis ſit oſtendunt. Talem ac tantum animum in theatro Proſſouienſi, in amphiteatro Varſauienſi, in Iudicijs Supremis Regni Tribunalitijs non ſolum Conciues ſed & exteri Legati Nationum, & proximo anno Turcæ ſunt, non abſq; Elogio ſingulari admirati. In quo Turcico conuiuio peculiaris eius magnanimitas enituit; Salus nō nomine Imperatoris Turcarum poculari circulo, ſed Regio ac ſub VLADISLAI Titulis prælibata, indignum ducens, fucato R. P. amico, Salutem in Triumphum conuiuij proponere, qui ſub ſpecie Pacis perpetuæ, perpetuum vbi occaſio affulſerit medi tatur bellum. Sed & illæ Heroicę Magnanimitatis notæ, quæ ſupra communes ſunt animorum notiones. Fortiter occaſionum

Temporis laborum, dolorum, calumniarũ, hostium moles, Atlantis instar ferre. Et Sphæram hanc minus amicæ Fortunæ, absque Herculis humeris tolerare. Iudicans omnium actionum mortalium licet seram, sed veram ac seriam ad futuram periodum. Et tandem vbi nascendo Saluete commortalibus dixeris, in vltimo Tragediæ vitalis actu vltimaq; scęna esse Vale dicendum. Atq; ita sclum animum vere magnum dixeris, nã cæterarum rerum magnitudini Mors & tempus imponunt modum, & nihil diu magnũ esse sinunt. Transit in candorem & trãsformatur calamus, & candidam candidi animi candidæ papyro imprimit imaginem. Candor Amor nostræ Gentis est. Et is genuinus Lechites, qui nulla palluerit cæræ fucatæ animo adhærentis culpa. Talis noster Chelmscius pullus non degener Aquilæ nostræ, quam ideo Candidam voluit esse Pri-

mus Sarmatiæ parens Lechus, vt ſub can-
dido ſigno candor ciuium niteret. Index
& Iudex interioris animi Horologij eius ſer-
mo qui nullum Hiſpaniſmum, neq; Machia-
uelliſticum abſoluti Dominij ſolæciſmum
redolebat. E quo Parente nata illa pulcher
rima Diuarum virtutum veritas, tertia illa
quam propoſuimus Boni Ciuis nota. So-
lebat ille noſter Bonus quem ſcribimus Ci-
uis Ioco ſerio dicere: Se nunquam fuiſſe in
Republicâ Placentinum ſed Veronenſem.
Quid hic non exclamares Dari: Tot Zopy-
ros! Et ego tecum: Tot Chelmſcios! Quot
enim ſunt ciues qui vt Fauentinum Ius con-
ſequantur etiam Veronam optimam meli-
orum ciuium veritatis matrem non abne-
gent? O quam vellem hunc premi in ani-
mis bonorum ciuium Sarmatiæ virtutis cha
racterem. Ipſe mortalium conciuis, nata
Deus in carne veritas, vt hæc virtus niteret
ſubijt

ſubijt patibularem mortem: Hac notâ qui ciuis caruerit neq; magnanimitatem Candorem aut veritatem ſibi polliceatur. Habetis Boni Ciues exemplar cui imitando incaleſcatis. Neq; foris quærendus eſt ignis, dum, inuenitur Domi. Concludo. Quid agis domus CHELMSCIA? Luges? Ponè lachrymis modum. Nam nihil lachryma citius areſcit. & dum ſpiras, ſuſpira & dic mecum

VTINAM VIVERES MARTIANE.

PROCVL SVSPIRIA

NAM VIVIT & VIVIT CHELMSCII

ETIAM

POST FVNERA VIRTVS.